

differit Concilium Tridentinum: *Non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt: ... ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* ( *Sess. 23. de Ordine, cap. 2.* ) Quibus verbis septem Ordines ita admittit Synodus Tridentina, ut eorum sententiam non damnauerit, qui plures agnouerunt, ne litem Scholasticam dirimat: sunt enim Theologi Catholici qui docent Episcopatum esse Ordinem Ecclesiasticum; nonnulli etiam addunt Tonsuram clericalem.

Septem Ordines quos memorat sancta Synodus, jam antiquitus in Ecclesia Latina constitutos esse, ex Veterum monumentis constat. Medio enim saeculo III, Cornelius Papa testatur eam aetate Romae fuisse Presbyteros 44, Diaconos 7, totidemque Subdiaconos, Acolythos 42, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52. ( *Apud Euseb. Lib. 6. Histor. Eccl. c. 43. pag. 244.* ) In Concilio etiam Carthaginensi IV an. 398, sigillatim recensentur praefati Ordines; eorumque officia, & ritus quo conferri solebant, describuntur. ( *Tom. 2. Concil. p. 1199 & 1200.* )

Apud Graecos multis abhinc saeculis quatuor tantum esse Ordines, nimirum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi & Lectoris, ex ipsorum Euchologiiis apertum est. Dixi autem, multis abhinc saeculis; utrum enim plures olim Ordines in Ecclesia Graeca fuerint, disputant Theologi; fatentur quidem eadem ministeria, quibus in Ecclesia Latina funguntur Ostiarii, Exorcistae & Acolythi, apud Graecos olim extitisse, ac etiamnum exerceri; sed ambigitur utrum eadem haec officia fuerint veri nominis Ordines, id est, per veram proprieque dictam Ordinationem collata. Qua de controversia videas Carolum Witasse, *Tom. 1. de Sacram. Ord. & Hyacinthum Drouin. Tom. 2.*

de re sacram. Ex septem ordinibus supra recensitis, qui in Ecclesia Latina jam a prioribus saeculis vigent, tres sunt qui dicuntur *maiores & sacri*, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia propius ad Eucharistiam accedunt, quae primarius est omnium Ordinum finis; quatuor autem alii propter rationem oppositam appellari solent *minores*.

---

### C A P U T   I I I .

#### De singulis speciatim Ordinibus.

DE singulis Ordinibus breviter dicturi sumus, à minoribus ad majores progrediendo; sed prius aliquid delibandum ex Tonsura quae Ordinibus praemitti solet.

---

### A R T I C U L U S   P R I M U S .

#### De Tonsura.

Quæres 1<sup>o</sup>. quomodo definiatur Tonsura, & quænam dotes ad eam sint afferendæ.

Resp. 1<sup>o</sup>. Tonsura sacra est ceremonia, quæ Laicum à vita seculari segregat, Cleroque adscribit, & ab Ecclesia fuit instituta. Dicitur 1<sup>o</sup>. *ceremonia*, ritus scilicet in capillorum recisione & orationibus adjunctis consistens; 2<sup>o</sup>. *sacra*, quia ad Dei gloriam ejusque cultum promovendum solemniter in Ecclesia celebratur; 3<sup>o</sup>. *quæ Laicum à vita seculari segregat, Cleroque adscribit*; per Tonsuram enim Laicus totum se Deo devovet,

& Clericorum privilegiis fruitur : potest nimirum beneficia possidere, ad Ordines promoveri, &c. 4<sup>o</sup>. *Ab Ecclesia fuit instituta* : eam quippe ecclesiasticæ, non divinæ institutionis est, inde patet quod nulla primis Ecclesiæ sæculis ipsius mentio habeatur. Antiquissimum tamen esse hunc ritum constat ex Gregorio Turonensi qui sæculo VI floruit, & Tonsuræ non semel meminit.

Resp. 2<sup>o</sup>. Quænam dispositiones ad Tonsuram afferendæ sint, docet Concilium Tridentinum his verbis : *Primâ Tonsurâ non intuentur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocû non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit eos, non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* (Sess. 23. de reform. cap. 4.) Unde manifestum est gravis criminis reos esse, qui Tonsuram accipiunt, non ut sæculum abjiciant, solique Christo militent; sed ut sæculum in Ecclesia quærant, sub ementitæ pietatis obtentu, ambitioni, avaritiæ, otio, propriisque commodis servientes.

Quæres 2<sup>o</sup>. quænam sint Tonsuræ ritus præcipui.

Respondeo 1<sup>o</sup>. Initiandi, deposito sæculari habitu, nigræque & talari veste induti, superpelliceum in brachio, sinistro, & cereum in manu dextra gestantes, coram Pontifice genibus flexis sistunt. Adstantes invitat Præsul, ut Dominum nostrum Jesum Christum orent *pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis in perpetuum conservet.*

2<sup>o</sup>. Recitatur Psalmus 137 : *Conserva me, Domine, & interim Episcopus unicuique extremos refecat capillos in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, & in medio capite; quæ dum peraguntur,*

quilibet cum Propheta dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei : tu es qui restituas hæreditatem meam mihi.* (Ibid. v. 5.)

3<sup>o</sup>. Post geminam orationem, Pontifex singulis superpelliceum imponit, dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis* : quæ oratio à piis quibuscumque Clericis, quotiès superpelliceum induunt, sic recitatur : *Indue me, Domine, novum hominem, qui, &c.*

Quæres 3<sup>o</sup>. quid præfatis Tonsuræ ritibus designetur.

Resp. Ex iis ritibus nullus est, qui ad instillandos veræ pietatis sensus non sit accommodatus. 1<sup>o</sup>. Enim initiandus omnia sæculi ornamenta & insignia exuendo, se totum esse Deo mancipatum, mundoque valedicere profitetur; caveat ergo ne pacti coram Deo & altaribus fœderis violator sacrilegus, eorum aliquid resumat, quæ solemniter abjecit, & liber pontificalis sæculi ignominiam nuncupat.

2<sup>o</sup>. Ex cereo accenso quem gestant initiandi, debent intelligere in illud præsertim incumbendum sibi esse, ut *luceat lux ipsorum coram hominibus*, qui inde *Patrem cœlestem glorificent.*

3<sup>o</sup>. Capillorum recisio duo significat; primum, non solum Domino consecrati Clericum, sed & illius servum ac mancipium fieri; mos enim olim erat, ut servis capilli refecarentur : secundum, eum sæcularis vitæ superfluitati vanitatique nuntium remittere : nam proluxa cæsaries superfluitatem, nimiaque illius cura vanitatem designat. Hæc meminerint Clerici, qui in comis ornandis & eleganter crispandis tantum insumunt temporis.

4<sup>o</sup>. Superpelliceum induuntur Clerici, ut inde intelligant se, depositâ sæculari veste, & sacro Religionis habitu sumpto, novos homines esse debere, morum innocentia vitæque integritate,

quod satis indicat candor ipse superpellicei. Idcirco Pontifex eos induens sic precatur: *Induas te Dominus novum hominem*, &c.

## ARTICULUS II.

### De Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ & Acolythi Ordinibus.

Minorum Ordinum primus est *Ostiarius*, per quem potestas confertur Ecclesiæ fores dignis aperiendi, & indignis ocludendi *Ostiarii* officium est, templi claves januamque custodire, ab ejus aditu arcere infideles, excommunicatos, &c. pulsu campanæ populum fidelem ad sacra convocare. Quamobrem eum, statim post Ordinationem, Archidiaconus ad ostium Ecclesiæ ducit, aperire jubet & claudere, ipsique funem campanæ tradit. Ad illum pertinet fideles in officio continere, ut reverenter ac modestè in loco sancto consistent. Olim juxta altare stabat, prohibiturus ne quis Laicus ad altare propius accederet, & Sacerdoti mysteria celebranti importunè obstreperet. Iplius etiam munus quondam erat vasa sacra universamque Ecclesiæ supellectilem servare, & curare ut in divinis functionibus nihil adhiberetur, quod earum Sanctitatem majestatemque dedeceret. Confertur hic Ordo per clavium traditionem, eaque Episcopi verba: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.*

Lectoris Ordo confertur per sacri Codicis traditionem, eaque Pontificis verba: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum eis qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.* Olim ipsius officium erat, 1<sup>o</sup>. eam Scripturæ partem populo prælegere, quam Episcopus erat explicaturus; 2<sup>o</sup>. catechumenos & neophytos fidei

rudimentis informare, Dei que & Ecclesiæ præcepta docere.

*Exorcistarum* Ordinem confert Episcopus, librum in quo scripti sunt exorcismi tradens, eaque verba pronuntians: *Habete potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.* Ipsorum ministerium est, 1<sup>o</sup>. à baptizatorum & catechumenorum corporibus dæmones per exorcismos abigere; 2<sup>o</sup>. ea omnia præparare, quæ necessaria sunt ad consecrandam aquam lustralem, quâ uti solet Ecclesia ad expellendos dæmones; 3<sup>o</sup>. Episcopo, vel Sacerdoti exorcismos agenti assistere; 4<sup>o</sup>. Sacerdotem, dum populum aquâ benedictâ aspergit, comitari eidemque vas aquâ sanctâ plenum præferre. Quales esse debeant Exorcistæ declarat hæc Pontificis hortatio: *Studete ut, sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis, &c.*

*Acolythatus* confertur per candelabri cum cereo, & urceoli vacui traditionem, adjunctaque Episcopi verba. Acolythorum functiones sunt 1<sup>o</sup>. cereos accendere, eosque inter Missarum solemnias deferre; 2<sup>o</sup>. vinum & aquam ad sacrificium præparare; 3<sup>o</sup>. Subdiacono, Diacono & Presbytero in sacris mysteriis ministrare: Acolythus quippè, juxta vim nominis Græci, idem est ac famulus & pedissequus. Quæ appellatio huic Ordini optimè convenit: Acolythi enim officium est Subdiaconum & Diaconum in sacro ministerio comitari, iisque operam præbere. Præ oculis autem semper habeant hanc Pontificis admonitionem, *ne lucem Dei manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviant; ... sed impleant quod veritas jubet: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

In sequenti articulo inquiremus utrum minores Ordines vera sint Sacramenta.

## ARTICULUS III.

## De Subdiaconatu.

*Subdiacōnotus*, ut nomen ipsum indicat, est Ordo per quem datur potestas proximè serviendi Diacono solemniter ad altare ministranti. Ab initio, & per multa deinceps sæcula, sicut etiam nūm apud Græcos, sacros inter Ordines non fuit annumeratus. Licet enim Veteres de Subdiaconis non rarò loquantur, quotiès tamen sacros Ordines commemorant, de Subdiaconis omninò silent. Præterea Urbanus II in Synodo Beneventina, cui præfuit anno 1091, hæc habet: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiosè vivens inventus est; sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum.* (Tom. 10. Concil. pag. 484.) Hic porò Subdiaconatus ab Ordinibus sacris excluditur. Petrus Cantor qui anno 1197 vivebat, *De novo*, inquit, *institutum est Subdiaconatum esse sacrum Ordinem.* Apud Menardum, not. 724. in *Sacram. S. Gregor. tom. 3. part. 1. pag. 494.* Hæc tamen igitur talis non fuerat. Ad eam dignitatem evectum fuisse ab Innocentio III, qui exeunte sæculo XII, Ecclesiæ præfuit, testatur Pontificale Parisense ab annis circiter 300 scriptum: *Subdiaconatus, inquit, ex institutione Innocentii III, est sacer Ordo.*

Subdiaconi munia sunt calicem & patenam ad altare deferre, Epistolam cantare intra Missarum solemnias, & fidelium oblationes suscipere, librum Evangelii, dum à Diacono legitur, ante confectum ejus tenere, eundemque deinceps Episcopo vel Sacerdoti celebranti, & Clero deosculandum præbere.

De Subdiaconatu duo sunt excutienda; primum, an verum sit Sacramentum; secundum, in quo constitui debeant illius materia & forma.

## PARAGRAPHUS PRIMUS.

*An Subdiaconatus verum sit Sacramentum.*

De Subdiaconatu, an verum sit Sacramentum, in Scholis disputatur. Alii negant, ut *Morin, Witasse, &c.* affirmant alii, quamvis ingenue fateantur rem certam non esse, sed probabiliorem tantum; ita Bellarminus, Hallier; Fstius verò controversiam hanc adeò difficilem & implicatam sensit, ut ab ea dirimenda cautus abstinuerit. (*In 4. dist. 24. paragr. 14.*)

Quæres 1º. quibus nitantur argumentis, qui negant Subdiaconatum, & proinde minores Ordines, verum esse Sacramentum.

Resp. Sic ratiocinantur: Verum quodcumque Sacramentum divinam habeat institutionem necesse est: atqui Subdiaconatus & quatuor minores Ordines, non divinam sed merè ecclesiasticam habent originem; 1º. quia de iis omninò silent, tum Apostoli, tum apostolicorum temporum Scriptores, apud quos tamen de Episcopis, Presbyteris & Diaconis tam frequens occurrit mentio; 2º. quia illos Ordines decursu temporum ab Ecclesia fuisse institutos, testantur veteres Theologi. Insignia sunt eà de re Urbani II Pontificis Maximi verba: *Sacros, inquit, Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* (Apud Gratian. *dist. 60. cap. 4. pag. 302.*) *Levitas, inquit ipse Gratianus, Ab Apostolis Ordinato legitimus; . . . Subdiaconos procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* (*Decret. dist. 21. pag. 92.*) Idem tradit Magister Sententiarum, *Lib. 4. distinc. 24.* cui consentire videtur S. Thomas his verbis: *In primitiva Ecclesia fuerunt soli duo Ordines sacri, scilicet Presbyteri & Diaconi, & tamen postea Ecclesia minores sibi Ordines instituit.* (*Opuscul. 34.*)

tom. 2. pag. 557. col. 2. edit. Nicol.) Idem asserunt Petrus Blesensis, *Serm.* 47; Hugo Victorinus, *Lib. 2. de Sacram. 3. part. cap. 13.*

Præterea, inquit illi Theologi, si Subdiaconatus minoresque Ordines essent divinæ institutionis, non tolerasset Ecclesia, iis Ordinibus prætermisissis, Diaconatum & Presbyteratum conferri: atqui tamen contrarium multa probant exempla. Sic referente Arcudio, S. Chrysostomus & S. Casarius Arelâtenfis, ex Lectoribus statim facti sunt Diaconi. (*Lib. 6. cap. 9.*) Sic eadem die S. Epiphanius consecratus est Diaconus, Presbyter & Episcopus, licet antea non esset Clericus; ergo, &c.

Quæres 2º. quid responsi prædictis rationibus afferant, qui Subdiaconatum & minores Ordines vera esse Sacramenta existimant.

Resp. A prædictis argumentis ita sese expediunt: Concilium Tridentinum docet Ordinem verum esse Sacramentum, nec de Sacerdotio & Diaconatu solum loquitur, sed universim de sacra Ordinatione, *quæ verbis & signis exterioribus perficitur.* (*Sess. 23. de Ordine, cap. 3.*) Atqui omnes Ordines, etiam minores, verbis & signis exterioribus perficiuntur. Desinit etiam, *præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores & minores per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium ienditur.* (*Cap. 4. can. 2.*) Deinde proximo Canone generatim pronuntiat, *Ordinem sive sacram Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum.* Licet igitur Synodus Tridentina à definienda quæstione inter Catholicos ventilata abstinerit, in eam tamen opinionem videtur propendere, quæ in singulis Ordinibus divinam institutionem verumque Sacramentum agnoscit.

Ideo, inquit iidem Theologi, de Subdiaconatu & inferioribus Ordinibus silent Veteres, non quod à Christo instituti non fuerint; sed quia illorum

ministeria, ob Fidelium & Ministrorum paucitatem, Diaconis committebantur, quemadmodum Diaconorum, antequàm existerent, functiones Presbyteri exercebant. Verùm sicut,  *crescente numero Discipulorum*, necesse fuit Diaconos eligere; sic &, crescente in dies Ecclesia, oportuit ut juxta Christi institutionem crearentur Ministri inferiores; ex eo quòd autem per aliquod tempus Ecclesia primitiva Diaconatu caruerit, perperam inferretur eam humani solum juris esse; idem ergo de Subdiaconatu, inferioribusque Ordinibus, malè pariter colligeretur.

Denique, pergunt Theologi, quòd Sancti quidam è Lectoratu statim ad Diaconatum promoti fuerint, id minime probat Subdiaconatum non esse divinitus institutum. Nonnullos enim pariter è Lectoris vel Subdiaconi Ordinibus, prætermisso Diaconatu, statim ad Presbyteratum pervenisse refert Morinus, *part. 3. exercit. II. cap. 2:* atqui tamen non inde inferunt adversarii, Diaconatum humanæ tantum institutionis esse; ergo pariter, quia in Ordinum serie omisus aliquandò fuit Subdiaconatus, non licet humanam duntaxat ei tribuere originem.

Ex iis quæ exposuimus satis liquet neutram opinionem inconcusis rationibus esse munitam: eam quilibet eligat, quæ sibi probabilior videbitur.

## PARAGRAPHUS II.

### De materia & forma Subdiaconatus.

Iti sunt præcipui ritus qui in conferendo Subdiaconatu adhibentur. 1º. Episcopus, præmissâ gravi monitione, calicem vacuum cum patena superposita tradit Ordinandis, quem singuli manu dextrâ *successivè* tangunt, Pontifice dicente: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* 2º. Archidiaconus tangendos ipsi offert urceolos cum

vino & aqua, & lancem (*bassin*) cum linteolo quo manus absterguntur. 3°. Amictum super singulorum caput imponit Episcopus, dicens: *Accipe amictum, &c.* 4°. Manipulum immittit in brachium finistrum, & ait: *Accipe manipulum per quem designatur fructus bonorum operum; in nomine Patris, &c.* 5°. Unumquemque tunicâ induens, *Tunicâ jucunditatis*, inquit, & *indumento lætitiæ induat te Dominus, in nomine Patris, &c.* 6°. Denique ipsi tradit codicem Epistolarum quem manu dextrâ omnes tangunt, eaque verba subjicit: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, &c.* Quinam autem ex illis ritibus materiam Subdiaconatus constituat, controvertitur inter Theologos. Plerique tamen eam totam in calicis & patenæ contactu reponunt, cum quibus sit

P R O P O S I T I O.

*Materia Subdiaconatus in solo calicis ac patenæ contactu probabilis consistit, & forma in oratione quæ calicis ac patenæ traditioni respondet.*

Prob. Si quid, præter calicis & patenæ contactum, ad necessariam Subdiaconatus materiam pertineret, maximè vel urceolorum, vel codicis Epistolarum traditio, vel amictus, manipulus & tunica: atqui nihil horum dici potest. Non quidem primum: nam cuilibet materiæ sua semper respondet forma: atqui urceolorum traditio nullam habet formam sibi adjunctam; dum enim eos tangendos offert Archidiaconus, nulla profert verba. Non etiam secundum: nam ritus ille ad *essentialem* Subdiaconatus materiam non pertinet, qui recentior est: atqui traditio codicis Epistolarum in Ordinatione Subdiaconi, recentis est instituti; vix enim à 400 annis usurpatur, ut ex veterum Ritualium lectione colligunt *Martenne & Morin;*

de ea ceremonia silent omnino præcæ ætatis Scriptores, qui ritus omnes in Ordinationibus adhiberi solitos diligentissimè commemorarunt. Non denique tertium: amictus enim, manipulus & tunica recentioris sunt usus, & de sacra hac supellestili tacent antiqui Rituales, nullaque olim erat Subdiaconorum vestis propria. Testatur namque Gregorius Magnus, primis temporibus Subdiaconos in Ecclesia Romana *spoliatos*, id est, sine sacra veste *processisse*, donec cuidam Romano Pontifici placuit, *ut vestiti procederent.* (Tom. 2. pag. 940.) Superest igitur ut propriam Subdiaconatus materiam in sola calicis & patenæ traditione & contactu reponamus. *Subdiaconus*, inquit Concilium Carthaginense IV, *cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuum & calicem vacuum.* (Can. 5. tom. 2. Concil. pag. 1200.) Eandem calicis & patenæ traditionem vel solam, vel ut præcipuum illius Ordinationis caput, præscribunt antiqui Rituales de quibus consule *J. Morin, part. 3. exercit. 12. cap. 1. n. 5.*

Ex iis colliges formam Subdiaconatus reponendam esse in verbis & oratione, quæ calicis & patenæ traditioni junguntur.

A R T I C U L U S I V.

De Diaconatu.

*Diaconi* nomen à græca voce oriundum, idem est ac *Minister*: proprium enim illius manus est, Sacerdoti, dum sacris dat operam, subservire: Iste sunt præcipuæ Diaconorum functiones; panem & vinum Presbytero sacrificanti offerunt; ex Ordinatione sua jus habent Baptismum solemniter conferendi, tanquam Ministri extraordinarii, & verbum Dei, ubi & quando visum fuerit Episcopo, prædicandi; Evangelium in Missis solemnibus decantant.

Longè autem latiùs olim patuit Diaconorum ministerium; 1º. enim Eucharistiam fidelibus dispensabant; 2º. Sacrificii tempore populum sæpiùs excitabant, ut totis animis ad sacra attenderet: quod etiamnum præstant apud Græcos; instante Sacrificii oblatione, indignis, ut recederent, publicè sic denuntiabant: *Recedant Pœnitentes, sancta sanctis*; 4º. Diaconorum erat, Martyribus & Confessoribus in carcere detentis, ea quibus indigebant, quantum fieri poterat, subministrare; 5º. deficientibus, sive propter sævientem persecutionem, sive aliam ob causam, Presbyteris, interdum Diaconis Parœciarum cura & regimen committebatur; 6º. iisdem credita fuit temporarium Ecclesiæ honorum dispensatio, ut nimirum elemosynas distribuerent, & unicuique ad victum necessaria suppeditarent.

Duo in controversiam veniunt; primum, an Diaconatus sit veri nominis Sacramentum; secundum, quid illius materiam & formam constituat.

#### PARAGRAPHUS PRIMUS.

*An Diaconatus sit veri nominis Sacramentum.*

Fide non constat Diaconatum esse Sacramentis annumerandum, quia *non videtur*, ait Estius, *de præsentia controversia quidquam esse ab Ecclesia definitum.* (In 4. dist. 24. parag. 8.) Idem est Bellarmini iudicium: *Non est certum de fide*, inquit (Diaconatum esse Sacramentum) *quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tradito; neque extat ulla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio.* (De Sacram. Ord. cap. 6.) Nec defuerunt Theologi, & quidem clarissimi, qui docuerint Diaconatum Sacramentum non esse propriè dictum; ita Durand, in 4. dist. 24. q. 2. & Cajetanus, Tom. I. opusculorum, tract. II. Apud Theologos tamen communis est opposita sententia.

#### PROPOSITIO.

*Diaconatus veri nominis est Sacramentum.*

Prob. quia Diaconatus ea complectitur omnia, quæ ad Sacramentum propriè dictum requisita sunt. 1º. Est ritus sensibilis; in Diaconi enim consecratione adhibentur manuum impositio & oratio, ut de septem primis Diaconis sic legitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* (Act. 6. 6.) Atqui oratio & manuum impositio sunt aliquid sensibile; ergo, 1º. &c.

2º. Christum habet autorem; tum quia, ex modo dicendis, gratiam confert quam Deus solus potuit exteriori signo illigare; tum quia Diaconos ex mandato Christi institutos fuisse declarant Veteres. *Apostoli*, inquit S. Clemens Romanus, *Petri & Pauli socius, ... accepit à Christo mandatis, ... Episcopos & Diaconos.... constituerunt.* (Ep. I. ad Corinth. cap. 42. apud Coteler. Tom. I. pag. 170.) Præterea, iudice Concilio Tridentino, *Hierarchia Ecclesiastica constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris;* (Sess. 23. de Ordine, can. 6.) quo postremo nomine Diaconi potissimum designantur, qui peculiari ratione, sui que nominis etymologiâ *Ministri* dicuntur: atqui eodem Canone percutitur anathemate *quisquis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ Ordinatione institutam;* ergo 2º. &c.

3º. Diaconatus gratiam habet sibi divinitus adjunctam: Concilium enim Tridentinum sic pronuntiat: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit.* (Ibid. can. 4.) Atqui in Ordinatione Diaconi hæc verba profert Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum;* ergo 3º. &c.

## Solvuntur objecta.

Obj. 1<sup>o</sup>. S. Petrus eligendos proponit Diaconos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano vidua, . . . & æquum non esset Apostolos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis. (A<sup>d</sup>. 6. v. 1 & 2.) Unde sic disputari solet: Ille Ordo non est Sacramentum, cujus ministerium, vel à prima origine, fuit merè profanum: atqui Diaconorum ministerium, &c. siquidem non aliud ipsis commissum erat officium, quam viduarum curam gerendi, & mensis ministrandi; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Nam quamvis objecto in loco duplicis tantum officii temporalis habeatur ratio, inde minimè sequitur Diaconos ad alia, & quidem nobiliora, munia non fuisse destinatos; eos quippè, vel à primis Ecclesiæ temporibus, sacras functiones exercuisse constat ex Scriptura. Legimus enim S. Stephanum fidei mysteria Judæis ita prædicasse, ut non possent resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. (A<sup>d</sup>. 6. 10.) Philippus etiam Diaconus, descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum, (ibid. cap. 8. 5.) & credentibus Samaritanis Baptismum administravit, qui tamen nunquam ab omnibus indiscriminatim, extra necessitatis casum, sed à propriis Ministris, semper conferebatur. Prædicandi igitur Evangelii, dandique Baptismatis ministerium Diaconis, vel à prima eorum institutione, commissum fuit: atqui profectò ministerium illud non erat profanum. Hoc fuit etiam Diaconorum, à prioribus Ecclesiæ sæculis, officium, ut Eucharistiam distribuere, & Sacerdoti sacra facienti subservirent. Qui apud nos dicuntur Diaconi, inquit S. Justinus, panem & vinum & aquam unicuique præsentium distribuunt, & ad absentes perferunt. (Apolog. 1. n. 65. pag. 83. Edit. BB.) S. Laurentius, apud Ambrosium, Sixtum Pontificem ad martyrium properantem sic

compellat: Quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas tuo? Nunquam sine Ministro sacrificium offerre consueveras. (Lib. 1. de officiis, cap. 11. n. 214. tom. 2. pag. 54 & 55.)

Obj. 2<sup>o</sup>. Hæc S. Cypriani verba: Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit; Diaconos autem, post ascensum Domini in caelos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros. (Epist. 65. pag. 113. Edit. Baluz.) Ergo Diaconatus non à Christo, sed ab Apostolis fuit institutus, nec proinde verum esse potest novæ legis Sacramentum.

Resp. Neg. conseq. Ex verbis S. Cypriani id unum inferri potest, nempe à Christo non institutum duntaxat esse Episcopatum, sed & primos Episcopos, sive Apostolos, immediatè ab eo fuisse electos; contra verò Christum Diaconos Apostolis reliquisse Ordinandos, quamvis ipse Diaconatum instituerit. Ita S. Doctor cujusdam Diaconi superbiam reprimit, qui ausus fuerat adversus Episcopum suum Rogatianum petulanter insurgere. Quemadmodum autem ex eo quòd Christus non legitur Confirmationem, vel Extremam Unctionem per se administrasse, minimè sequitur utramque non esse institutionis divinæ, sed humanæ; ita pariter quia Christus Diaconos immediatè non consecravit, inde perperam colligeretur divinam non esse Diaconatus originem.

Obj. 3<sup>o</sup>. Quis patietur, inquit S. Hieronymus, ut mensarum & viduarum Minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? (Epist. 101. ad Evangelum, tom. 4. part. 2. pag. 802.) Porro ille Diaconorum ministerium ut merè profanum habet, qui ipsis, præter mensarum & viduarum curam, nihil tribuit: atqui Hieronymus Diaconis, præter, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. min. Hieronymus Diaconis nihil tribuit, præter mensarum & viduarum curam,



speçtando ad occasionem quâ instituti fuerunt, conc. min. quodlibet aliud nobilius officium excludendo, neg. min.

Ibi S. Doctor quorundam Diaconorum arrogantiam reprimit, qui supra Presbyteros sese efferebant superbius: quem factum ut retunderet, eos ad suæ institutionis occasionem revocavit, quæ his verbis describitur: *Crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduarum.* (Act. 6. 1.) Hujusmodi querelæ locum Apostolis præbuerunt Diaconos Ordinandi qui, susceptâ viduarum curâ, ipsis necessaria subministrarent. Diaconis hanc occasionem objicit Hieronymus, ut intelligant se longè inferiores esse Presbyteris quibus, ubi primum creati sunt, statim commissum est augustissimum consecrandi corporis Christi ministerium.

Sed non ea fuit S. Doctoris mens, ut totum Diaconorum officium intra mensarum viduarumque curam coerceret. Afferit enim in fine ejusdem Epistolæ, illis competere sacrum ministerium, eosque in Ecclesia Christi esse, quod in Veteri Testamento Levitæ: istos autem ad sacras functiones obeundas selectos fuisse minimè negaverit, quisquis octavam caput lib. Numer. legerit.

Præterea in sua contra Jovinianum Epistola, scribit Diaconis impositam esse continentiæ legem, ut divini Sacrificii ministerio liberius sanctiusque operam darent; ergo cum S. Hieronymus Diaconos vocat mensarum Ministros, ab iis nobilius quodlibet officium excludere in animo non habuit.

PARAGRAPHUS II,

PARAGRAPHUS I I.

De materia & forma Diaconatûs.

In Diaconorum Ordinatione apud Latinos quatuor potissimum observantur. 1<sup>o</sup> Episcopus prolixam fundit orationem, quam subito abrumpens, manum dexteram super cujuslibet Ordinandi caput imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo & tentationibus ejus;* deinde prosequitur extensam tenens manum. 2<sup>o</sup> Peractâ oratione, stolam unicuique super humerum sinistrum imponit, dicens: *Accipite stolam candidam de manu Dei, &c.* 3<sup>o</sup> Quemlibet induit dalmaticâ cum iis verbis: *Induat te Dominus indumento salutari.* 4<sup>o</sup> Omnibus librum Evangeliorum porrigit, hæc verba proferens: *Accipe potestatem legendi Evangelium.*

PROPOSITIO I.

*Nec codicis Evangeliorum porrigendi, nec stolæ ac dalmaticæ imponendæ ritus, ad essentialem Diaconatûs materiam pertinent.*

Probatur prima pars. 1<sup>o</sup> Illud ad essentialem Diaconatûs materiam non pertinet, quod Diaconorum institutione recentius est: atqui ita se habet traditio libri Evangeliorum; cum enim Diaconos Ordinârunt Apostoli, nondum scriptum erat Evangelium; 2<sup>o</sup> quia ritum illum nec antiquitus usurpârunt Græci, nec hodiè observant, ut ex omnibus eorum Euchologiis compertum est; 3<sup>o</sup> quia ceremoniam hanc apud Latinos sexcentis vel septingentis ad summum annis antiquiorem non esse probant eruditi; siquidem de ea penitus silent, quotquot ad sæculum usque undecimum prodierunt Libri Rituales.

Prob. secunda pars. 1<sup>o</sup> Quia nullibi legitur  
Tom. V. B

stolam primis Diaconis fuisse traditam; 2<sup>o</sup>. quia ritus ille in antiquis Ritualibus Libris non paucis omittitur; 3<sup>o</sup>. quia apud Græcos sine ullis verbis, quæ formæ rationem habeant, imponitur stola, & quidem cum perfecta est Ordinatio.

Prob. tertia pars. Ritus *essentialem* Diaconatus materiam constituens, Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ debet esse communis, cum in utraque verus sit Diaconatus: atqui dalmaticæ imponendæ ritus Græcis hætenus fuit inusitatus: quin etiam apud Latinos recentis est instituti, ut probat eruditus Morin; ergo, &c.

### PROPOSITIO I. I.

*Impositio manuum ipsique juncta oratio totam constituunt Diaconatus materiam & formam.*

Probat. In eo ritu tota continentur Diaconatus materia & forma, quem solum usurparunt Apostoli, & qui universalitatem, perpetuitatem, omniumque Ecclesiarum consensionem sibi vindicat: atqui talis est manus impositio, cum oratione sibi conjuncta. 1<sup>o</sup>. Quidem utramque solam adhibuerunt Apostoli in Ordinandis septem Diaconis: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus; (Act. 6. 6.)* nec aliud quidpiam fecisse narrantur. 2<sup>o</sup>. Eundem ritum usu constanti & perpetuo servarunt omnes Ecclesiæ, ut constat ex earum Ritualibus, Veterumque testimonio: *Diaconus cum Ordinatur, inquit Concilium Carthaginense IV, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat. (Tom. 2. Concil. pag. 1200.)* Idem sic jubet Autor Constitutionum Apostolicarum: *Diaconum efficiens, Episcopus, imponens ei manus. (Lib. 8. cap. 27. apud Coteler. tom. I. pag. 407.)* Dionysius, vulgò dictus Areopagita, *Diaconus, inquit, unum genu stans ante altare, supra caput habet dextram Pontificis ipsum consecrantis, & ab eo consecratur*

*invocationibus ad Ministrorum consecrationem accommodatis. (Edit. Cord. tom. I. pag. 312. cap. 5. Eccles. Hierarch.)*

Præterea nisi manus impositio & oratio totam constituent Diaconatus materiam & formam, dicendum erit apud Græcos & Orientales verum non esse Diaconatum. Apud eos quippè non aliam reperias materiam & formam, quàm manus impositionem, & preces ipsi adjunctas: atqui tamen certum est apud Græcos & Orientales verum existere Diaconatum; 1<sup>o</sup>. quia Græcis semel Ordinatis, & à schismate redeuntibus, nova non confertur Ordinatio; 2<sup>o</sup>. quia in Concilio Florentino, cui interfuerunt Orientales & Occidentales, licet multæ hinc & inde efferbuerint contentiones, eà tamen de re nulla fuit controversia; sed approbata est Græcorum Ordinatio: ergo, &c.

### ARTICULUS V.

#### De Presbyteratu.

Græcè *Presbyter* idem sonat, ac latinè *senior*, & aliquandò ætatis nomen est, aliquandò etiam muneris & dignitatis: ad graviora enim munia ii deligi solent, qui ætate rerumque gerendarum peritiã ceteris antecellunt. Sic Magistratus qui Reipublicæ Romanæ præficiantur, *seniores* dicti sunt, horumque Concilium, *Senatus*. Cum autem nihil majus sit aut præstantius, quàm potestas consecrandi corporis sanguinisque Christi, ipsius sacrificium offerendi, & peccata dimittendi aut retinendi, meritò *Presbyteri* dicuntur ii quibus commissum est tam grande ministerium. Ad illud enim dignè obeundum, maturam ætatem attigisse debent, vel eam morum gravitatem, eamque doctrinam & prudentiam comparasse, quæ senio-

rum propria esse confuevit: *Sacerdotes* etiam appellatur; tùm quia Deo speculater consecrati sunt; tùm quia ex officio res sacras & diuinas pertractant.

Hic tria expendemus: primum, an Presbyteratus verum sit Sacramentum; secundum, quænam illius materia & forma; tertium, quæ officia.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

*An Presbyteratus verum sit Sacramentum.*

PROPOSITIO.

*Presbyteratus verum est Sacramentum.*

Probatur. Ritus sensibilis, à Christo institutus & gratiam conferens, verum est Sacramentum: atqui Presbyteratus est eiusmodi. 1<sup>o</sup>. Quidem in eo ritus occurrit sensibilis, nempe impositio manuum & oratio: sic enim refert S. Lucas: *Cum confisissent illis, (græcè, cum manuum impositione consecrassent,) per singulas Ecclesias Presbyteros & orassent.* (Act. 14. 22.) Hanc manuum impositionem in Presbyterorum consecratione semper usurpatam testatur Patrum traditio. 2<sup>o</sup>. Accedit diuina institutio. Duplex enim est in Presbyteratu potestas, alia consecrandæ Eucharistiæ, alia peccatorum dimittendorum: atqui utramque instituit Christus; primam quidem, cum Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* (Luc. 22. 28.) secundam verò, cum à morte redivivus iisdem ait: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* (Joan. 20. 23.) 3<sup>o</sup>. Denique gratia non deest, ut satis indicant hæc Christi verba: *Accipite Spiritum Sanctum;* ergo in Presbyteratu reperias quidquid ad constituendum verum novæ legis Sacramentum requiritur. Iis accedit omnium Theologorum consensus; quamvis enim non omnes Episcopatum Sacramentis annumerent, & ea de re

dissentiant, nullus tamen unquam fuit, qui de Presbyteratu in dubium id revocaverit.

PARAGRAPHUS II.

*De materia & forma Presbyteratûs.*

Apud Latinos in consecrandis Presbyteris quinque potissimum observantur ceremoniæ: 1<sup>o</sup>. post Epistolam & Tractum, Episcopus, nullâ præmissâ oratione, utramque simul manum supra cuiuslibet Ordinandi caput *successivè* & silens imponit; idemque post eum faciunt, quotquot adfunt Sacerdotes. 2<sup>o</sup>. Tam Episcopus, quàm alii Sacerdotes, manum dextram super Ordinandos extensam tenent, alteramque hanc manuum impositionem comitantur duæ Pontificis orationes, quibus Deum rogat *ut quos divinæ pietatis aspectibus offert consecrandos, perpetua muneris sui largitate prosequatur, & innovet in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, &c.* 3<sup>o</sup>. Utramque cuiuslibet Ordinandi manum sacro inungit oleo dicens: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas, &c.* 4<sup>o</sup>. Singulis *successivè* tradit calicem cum vino & aqua, & patenam superpositam cum hostia, unicuique dicens: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare, &c.* 5<sup>o</sup>. Presbyteri consecrati Missam cum Pontifice absolvunt, qui post datam ipsis communionem, ambas manus singulorum capiti imponens, ait: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

Quinam autem ex illis ritibus materiam & formam constituent, inter Theologos disputatur, quorum tres sunt ea de re opiniones. Prima Ordinationis Sacerdotalis materiam statuit in sola manuum impositione, & formam in sola quæ ipsi adjungitur oratione; secunda in sola instrumentorum traditione, calicis nempe & patenæ cum superposita hostia materiam collocat, formam autem in istis quæ junguntur verbis: *Accipe potestatem offe-*

rendi Sacrificium, &c. tertia, tùm in manuum impositione & oratione, tùm in traditione instrumentorum & verbis ipsi subnexis, materiam & formam Presbyteratûs constituit.

Triplex occurrit manuum impositio; prima, quæ fit initio & sine ullis verbis, tùm ab Episcopo, tùm à Presbyteris presentibus; secunda, quæ proximè sequitur, & adjunctam habet Pontificis orationem; tertia, quæ fit ab Episcopo dicente; *accipe Spiritum Sanctum*. Quænam verò ex illis manuum impositionibus sit necessaria, inter eos Theologos non convenit, qui materiam Presbyteratûs in manuum impositione sitam volunt. De tota hac controversia fit.

PROPOSITIO I.

*Nec traditio instrumentorum, nec verba ipsi subnexa, accipe potestatem, &c. pertinent ad essentialiam Presbyteratûs.*

Probatur. Illud ad Presbyteralis Ordinationis essentialiam non pertinet, sine quo verum olim Sacerdotium datum est, ac etiamnum confertur: atqui sine instrumentorum traditione, & verbis eidem adjunctis verum olim, &c. Ex omnium enim consensu verum fuit apud Latinos Sacerdotium ante sæculum decimum, ac etiamnum apud Græcos existit: atqui tamen Latini per novem priora sæcula traditionem instrumentorum, verbaque ipsi conjuncta, in Ordinandis Presbyteris non adhibuerunt, nec hodiè adhibent Græci. 1º. Quidem totis mille annis prioribus apud Latinos hunc ritum usurpassè nullus legitur: de eo penitus silent Sacramentarium Gregorii Magni; Isidorus Hispalensis, Amalarius, Rabanus, aliique Scriptores, qui per mille annos Ordinationis ceremonias figillatim diligenterque descripserunt; tacent etiam omnes Libri Rituales, qui per istud tempus spa-

tium prodire: atqui constans illud perpetuumque de instrumentorum traditione silentium apertè clamat, eam priscis temporibus fuisse Latinis incognitam.

2º. Eam Græcis & Orientalibus in usitatam hactenus fuisse certum est, cum de illa ne voculam quidem habeant, tùm ipsorum Euchologia, tùm Autores antiqui & recentiores, qui ex professo de Ordinationibus scripsère, Autor scilicet constitutionum apostolicarum, Dionysius re vel nomine Areopagita, & alii: ergo nec apud Latinos ante sæculum decimum, nec apud Græcos ullà ætate, in usu fuit instrumentorum traditio & contactus: attamen habuerunt quolibet tempore Sacerdotium; ergo ritus ille ad Presbyteralis Ordinationis essentialiam & materiam non pertinet.

PROPOSITIO II.

*Materia essentialis Presbyteratûs in manuum impositione, & illius forma in oratione ipsi adjuncta constituta est.*

Probatur. In iis ritibus constituenda est essentialis materia & forma Presbyteratûs, quos in Ordinandis Presbyteris adhibuerunt Apostoli, usque constanti & perpetuo retinuit Ecclesia tùm Latina, tùm Græca: atqui hujusmodi sunt manuum impositio & oratio quam adjunctam habet.

1º. Quidem utramque usurpârunt Apostoli; sic enim legitur: *Cum constituisset illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orasset cum jejunationibus. (Act. 14. 22.)* græcè, *cum manuum impositione conf. orasset*. Sic Discipulum suum hortatur Apostolus: *Manus citò nemini imposueris. (1 Tim. 5. 22.)* Quæ verba de Presbyterorum Ordinatione intelligunt SS. Patres: *Quid est, ait S. Leo, manus citò imponere, nisi ante ætatem maturitatis... sacerdotalem honorem tribuere non probatis? (Ep. 1. ad*

*Episcopos Africanos , cap. 2. Edit. Quesnel. tom. 1. pag. 401. ) ergo 1<sup>o</sup>. &c.*

2<sup>o</sup>. Impositionem manuum & orationem in consecrandis Presbyteris constanter retinuit Ecclesia , tum Græca , tum Latina : omnes enim Græcorum , Orientalium , Latinorumque Libri Rituales , quamvis in ceteris non parùm diffideant , in eo tamen prorsus consentiunt , quòd Presbyteratum manuum impositione & oratione conferri testentur , ut videre est apud Morinum , Martenium , Menardum , Goarium ; ergo , &c.

Nostram hanc doctrinam probant innumera Veterum testimonia ex quibus pauca seligemus. *Cùm Ordinas Presbyterum , Episcopo , inquit Autor Constitutionum Apostolicarum , manum super caput ejus ipse impone , & orans dicit : Domine omnipotens , &c. ( Lib. 8. cap. 26. apud Coteler. tom. 1. pag. 406. ) Sacerdos , inquit Dionysius , utroque poplite ante altare flexo , in capite dextram habet Pontificis , & hoc modo ab illo Pontifice qui illum consecrat , sanctis invocationibus consecratur. ( De Eccles. Hierarch. cap. 5. n. 2. edit. Cord. tom. 1. pag. 312. ) Patres Concilii Carthaginensis IV , Ordinationis ritum describentes , Presbyter , inquit , cùm Ordinatur , Episcopo eum benedicente , & manum super caput ejus tenente , etiam omnes Presbyteri qui præsentibus sunt , manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant. ( Tom. 2. Concil. pag. 1199. ) Atqui in his Veterum testimoniis commendatur , imò præscribitur manuum impositio , cum oratione conjuncta ; nihil est igitur in quo tutius consistit possint Presbyteratus materia & forma.*

### PROPOSITIO III.

*Nec prima manuum impositio , nec tertia , cui respondet hæc Episcopi oratio , accipe Spiritum Sanctum ; quorum remiseris peccata , &c. essentialis est Presbyteratus materia , benè verò secunda manuum impositio.*

Probatur prima pars. Ea manuum impositio non est essentialis materia Presbyteratus , quæ nec usurpata fuit decem prioribus sæculis , nec ullam formam habet sibi adjunctam : atqui prima manuum impositio nec in usu fuit ad annum usque millesimum , ut satis probat Scriptorum omnium constantis perpetuumque silentium ; nec annexam habet formam , cùm fiat , silentibus Episcopo , & quæ adsunt Sacerdotibus ; ergo , &c.

Prob. secunda pars. Ritus ille ad essentialem Presbyteratus materiam non pertinet , quem nec olim adhibuit Ecclesia Latina , nec servant etiamnum Græci & Orientales : atqui tertia manuum impositio , nec olim in usu fuit apud Latinos , cùm de ea fileant omnino Rituales Libri ante XII sæculum scripti , nec servatur etiamnum à Græcis & Orientalibus , cùm nullum ipsius vestigium in eorum Euchologiis appareat , quamvis singulos Ordinationum ritus accuratè descripserint ; ergo , &c. Superest proindè ut essentialis materia & forma Presbyteratus collocetur in secunda manuum impositione & oratione Episcopi , quam habet sibi adjunctam.

Dices : Eugenius IV in decreto pro instructione Armenorum sic declarat : *Ordinis materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo , sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino , & patenæ cum pane porredionem. ( Tom. 13. Concil. pag. 538. )* Ergo non manuum impositionem de qua fileat , at solam instrumentorum porredionem habuit Roma-

nus ille Pontifex, ut *essentialem* Presbyteratus materiam.

Resp. Neg. conseq. Quia in unum consilii habuit Eugenius IV, ut Armenos qui ita postulaverant, peculiare Ecclesie Latinae ritus edoceret; cum autem apud eos impositio manuum hactenus in usu fuisset, necesse non erat ut de illa verbum ullum faceret Summus Pontifex. Et verò decretum illud statim post Concilii Florentini celebrationem editum est: atqui in ea Synodo cui praefuit Eugenius IV, rata probataque est Graecorum Ordinatio, quam sine instrumentorum traditione, sed per solam manuum impositionem, ipsique connexam orationem fieri planè noverat Pontifex Romanus; non existimavit igitur illum instrumenta porrigendum, Ecclesiae Latinae proprium, ad necessariam Presbyteratus materiam pertinere.

### PARAGRAPHUS III.

#### De Officiis Presbyteratus.

Presbyteri officia his verbis complectitur Pontificale Romanum: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praesse, praedicare, baptizare.*

*Offerre* primum est Presbyteri munus. Sacrificium quippe & Sacerdotium quasi indivulsa sunt: *Omnis enim Pontifex*, inquit Apostolus, *ad offerendum munera & hostias constituitur.* (Hebr. 8. 3.)

2º. Id privilegii Sacerdotibus semper fuit, ut ab iis benedicerentur, tum personae, tum ea quae adhibent suum in usum. Sic in lege naturae Melchisedech benedixit Abraham, qui omnium credentium pater fuerat à Deo designatus; cur autem id munus sibi sumpserit, hanc rationem affert Scriptura: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* (Genes. 14. v. 18.) In lege scripta Deus eandem prerogativam asserit Leviticis Sacerdotibus: *Sic benedicetis filiis Israël*, inquit Num. 6. 23. Ad eum finem spectat unctio, quae Pontifex utramque Presbyteri

manum consecrat; Deum sic orans: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem; & quaecumque benedixerint, benedicantur, & quaecumque consecraverint, consecrentur & sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

3º. Sacerdotis est praesse populo Dei ipsamque regere sub autoritate Episcopi. Sic enim Ordinatio Pontifex: *Tales esse studeatis, ut in adjumentum... Episcoporum... dignè per gratiam Dei eligi valeatis*: unde colligitur eos tantum consecrandos esse Presbyteros, qui Episcopos de regendis Ecclesiis solliciti, & tanto sub onere fatigantes sublevare valeant.

4º. Praedicandi munus Presbyteris incumbit. Quomodo enim plebem sibi commissam regerent sine verbi ministerio? *Qui Pastor est*, ait S. Hieronymus, *debet esse Magister, nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen debet assumere, nisi possit docere quos pascit.* (In cap. 4. Epist. ad Hebr.) *Dabo vobis*, inquit Deus, *Pastores juxta cor meum, & pascet vos scientia & doctrina.* (Jerem. 3. 15.) In odium igitur Dei incurrit Pastor, qui grave illud officium negligit; ad Pastorem enim quemcumque pertinet hoc Dei praecipuum, terribilisque ea comminatio: *Speculatorem dedi te domui Israël; audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me... Si... non fueris locutus ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (Ezech. 33. v. 7. & 8.) Haec audiant & contremiscant Pastores, qui populum sibi commissum verbi divini praedicatione defraudant. Hinc Concilium Tridentinum praecipit ut Parochi, saltem singulis diebus dominicis & festis solemnibus, praeter Catecheses parvulis habendas, *Sacras Scripturas divinaeque legem annuntient.* (Sess. 5. cap. 2. & Sess. 24. cap. 4. & 7. de Reform.) Ut autem praedictis officiis dignè utiliterque fungantur Sacerdotes, totam vitae suae rationem ad ea documenta componant, quibus eos sic

hortatus est Pontifex consecrans: *Servate in moribus vestris sanctæ & castæ vitæ integritatem; agnoscite quod agitis; imitami quod tractatis; quatenus mortis dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à vitiiis & concupiscentiis omnibus procuretis, sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei.*

## ARTICULUS VI.

## De Episcopatu.

Episcopatus est Sacerdotii culmen & perfectio: Episcopatus, si nominis græci etymologiam spectes, idem est ac latinè *inspector*; non modo enim fidelium multitudini, sed & omnibus Clericis invigilat & præest. Hinc merito S. Augustinus ait: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris; græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens.* (Lib. 19. de civit. Dei, cap. 19.) S. Chrysostomus aliique permulti docent, Apostolorum temporibus *Episcopi* nomen ipsis Presbyteris fuisse commune, quia videlicet ipsi etiam præfunt inferioribus Clericis & populo; sed usus in Ecclesia invaluit, ut nomen illud solis majoribus, sive primi ordinis, Sacerdotibus tribueretur.

Episcopatus rectè definitur: *Ordo supremus quo datur Presbytero potestas Ordinandi, confirmandi, Ecclesiamque sibi commissam regendi.* Dicitur 1º. *Ordo supremus*, quia Episcopatus est Sacerdotii fastigium & perfectio: *Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos?* inquit Autor quæstionum in Vet. & Nov. Testam. Tom. 3. oper. S. August. in append. pag. 93. S. Ignatius, *honorate Episcopum*, inquit, *tanquam Principem*

*Sacerdotum.* (Epist. ad Smyrneses, n. 9. apud Coteler. t. 2. part. 1. p. 153. col. 2.)

Dicitur 2º. *Quo datur Presbytero*; quia Episcopatus esse non potest, qui Presbyter non fuerit. 3º. *Potestas Ordinandi*: in eo quippe constituitur præcipua Episcopi functio, quæ ipsi ita propria est, ut nequeat ad secundi ordinis Presbyteros transferri. 4º. *Confirmandi*, quia ordinarium Confirmationis Ministrum, solum esse Episcopum ostendimus. 5º. *Regendi Ecclesiam*, &c. quibus verbis designatur potestas jurisdictionis, quam habet unusquisque Episcopus in Ecclesiam sibi creditam. Hic quatuor sese offerunt exploranda: primum, an Episcopatus verum sit Sacramentum, & quidem à Presbyteratu distinctum; secundum, quænam sint illius materia & forma; tertium, utrum Episcopi ex jure divino sint Presbyteris superiores; Quartum utrum Parochi suam ab Episcopis jurisdictionem accipiant, an verò juris sint divini, suamque à Christo potestatem habeant.

## PARAGRAPHUS PRIMUS.

*Utrum Episcopatus sit Sacramentum, & quidem à Presbyteratu distinctum.*

Alii putant Episcopatum esse peculiare Sacramentum à Presbyteratu distinctum, quod diversum imprimis characterem; sed tamen illud, Deo sic ordinante, ita esse comparatum, ut ipsi necessario præmitti debeat Presbyteratus: sic Bellarminus, Estius, Sylvius, &c. Alii autem opinantur Episcopatum non esse verum Ordinem & Sacramentum, à Sacerdotio distinctum, sed characteris sacerdotalis quamdam tantum extensionem, ad novum officium, novam amplioremque potestatem & dignitatem; ita ut Episcopus non alius sit, quam perfectus Sacerdos: sic exilimant Hugo à S. Victore, Magister Sententiarum, S. Bonaventura, S. Thomas, &c.